


NVMMVS ICONICVS CVM CASTRENSI
GEBHARDI TRUCHSESII ARCHIEPISCOPI & Electoris Colonienfis: Bonnâ ab Ernesto Bavaro obfessâ, Anno Christi 1583.



Causam duplicem habuit Pontifex, cur Gebhardum Truchsesium Archiepiscopum Coloniensem fulmine excommunicationis percuteret: & quod Agnetam uxorem duxisset, è perantiquo illustrique Mansfeldiorum stemmate ortam: & quod utriusque religionis exercitum, iuxta pacem religionis in Imperio datam, subditis suis permisisset. Excommunicato eidem & Episcopatu dimoto Ernestus substituitur, Ducis Bavarie filius, Episcopus Leodiensis: bellum utrinque apparatus: præliis sæpè dimicatur. Servârat autem ad sui defensionem Gebhardus Bonnam, oppidum haud malè munitum: quod cum à copiis Ernesti graviter obsideretur, Carolus Gebhardi frater id ipsum maiori animo, quam viribus tuebatur. Nam quamvis à frumento & vino minimè laborarent præsidiarii, tamen cæterarum rerum, ad vitam necessariarum, summa in oppido penuria erat, ac ligni in primis, ita ut tigna, canterios aliamque materiam igni nutriendo idoneam, disturbatis ad fœditatem adibus, per vim rapere cogerentur. Erant in Castris Ernesti nuper Electi Colonienfis Archiepiscopi, & Electoris, I V. lectæ Sequanorum equitum turmæ, ductore Torasio: V I. Italicorum, quibus Nicol. Basta præerat, & V. Eburonum; peditum signa XL. Germanorum Boemorum, & Eburonum